

admittimus, ut universa Militaria Officia penes praedictam regulatam Militiam Banalem Regni Confinariam idoneis duntaxat Coronae Regni nostri Hungariae subjectis Patriae Filijs conferantur, et Praesidia Nationali regulato aliunde futuro Milite impraesidentur; Antelatus porro Comes Banus, Ejusdemque in Officio hocce Successores, non modo erigendorum (uti praemissum) ex praedicta Banali Militia Confinaria Regiminum Proprietarij existant, verum etiam adinstar illorum Vice-Colonellos et ab inde alios Officiales denominandi Jus et Activitatem habeant, ipsa praenotata erigendorum praemissorum Regiminum Proprietate moderno Comiti Bano Ejusdemque in Officio hocce Successoribus taliter collata, privativam in Rebus dicta Regimina quoquo modo concernentibus Dispositionem eidem Bano et illius in Officio hocce Banali Successoribus concedente; Colonelorum attamen Denominationem erga Propositionem dicti Comititis Bani Ejusdemque in Officio hocce Successorum, pariter ex Coronae Regni nostri Hungariae subjectis Patriae Filijs, Nobis benigne reservamus; Qui modo praevio per Nos resolvendi et denominandi Colonelli consveta eatenus Decreta per Expeditionem Consilij nostri Aulae Bellici adinstar aliorum Colonelorum nostrorum accipient; taliterque Militia haec aequali cum reliquis regulatis Regiminibus nostris Praerogativa, vulgo Rang dicta, et Privilegijs aliorum Regiminum etiam in Castris gaudeat; Juramentum autem consveta eatenus Modalitate Nobis et Sacrae Regni Coronae ipsa praedicta Militiae illius Regulatione et in Regimina cum concomitantibus iisdem Praerogativis Efformatione, illud inevitabiliter exposcente, eadem Militia praestabit. In eo porro ulterius benignissime consolandos duximus fideles suprafatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines, dum videlicet vetustam usque roborata Consuetudine firmatam Eorundem Praerogativam, Supremum Regni Capitaneatus Officium conferendi, taliter hinc clementer confirmamus: Quod benigne omnino confidentes, praelibatos fideles Status et Ordines hocce Supremi Regni Capitaneatus Munus ipsis semper praedictorum Regnorum nostrorum Banis More hactenus recepto collaturos, iidem fideles Status et Ordines ejusmodi Supremum Capitaneum nominare possint, nominatum attamen ad subsequam benignam nostram et Successorum nostrorum legitime Coronatorum Hungariae Regum Ratificationem praesentare teneantur; Vice-Capitaneos vero constituendi Jus et Activitas penes ipsum Banum ulterius permaneat. Benignissime insuper resolvimus: Ut regulatae huic, et in Regimina formandae Militiae Banali Regni Confinariae Sclopi et Pistoletae, Arma brevia, vulgo Bajoneth dicta, Loramenta item, Federverf nuncupata, pro hac prima Regulationis Vice, tempore Belli autem nova Tormenta ex Armamentarijs, item Tentoria, Currus praeterea Annonarij et pro Casu Belli etiam Onerarij pro devehendis Tentorijs, reliquaque Bellica Requisite, et si eandem Militiam extra Regnum progredi contigerit, aequale cum aliis Militibus Confinarijs Stipendium ex Aerario nostro Regio suppeditentur. Commissarij porro Militaris ex pluribus idoneis Nativis per Banum proponendis Personis Denominatione, ejusdemque regulatione iisdem fidelibus Statibus et Ordinibus salva omnino permanente, quatenus Commissariatius noster Aulae Bellicus in Casu duntaxat, quo Militia haec in Servitio suo, dum et quando Nobis benigne visum fuerit, extra Regnum exitura, in Salarium nostrum Regium transiverit, nec secus eatenus Influxum habeat, clementer etiam admittimus. Quemadmodum vero hactenus in memorato Nobis Charo Croatiae Regno Militaris Dislocatio vel Condensio rarissime et pro Casu duntaxat Sum-